

facere semper mihi et tibi; sed plus mihi, quia tota vita mea foetida est, totus foetidus sum, et corpus meum, et anima mea, et omnia, quae intra me sunt, faece et putredine peccatorum et iniquitatum foetidissima et abominabilissima sunt; et quod deterius est, quotidie hunc foetorem in me sentio recentius et angustius revocari. » Et inferius: « Et sicut sibi et Deo foetere se credit et sentit: sic etiam credat et sentiat, quod non solum coram Angelis et sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus sit abominabilis et foetidus: et quia facta et dicta sua non solum homines videre et audire dedignantur, sed quod nares suas claudant et avertant facies suas, ne ipsum videant; et tanquam foetidum cadaver de medio eorum expellant, et sit ab eis alienatus et separatus et projectus, sicut plus quam leprosus, usquequo veniat et reveniat ad seipsum. Et si quis de eo justitiam faceret, et de corpore suo sentiat quod justum est, et ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderentur, et aures, et os, et sic de aliis sensibus corporalibus et membris; quia eum his omnibus Deum offendit, et Creatorem. Item, quod despici desideret et contemni, et quod omnia vituperia, verecundias, diffamationes, injurias, blasphemias, et caetera adversa summo cum gaudio et laetitia recipiat, et patienter ferat. Et oportet quod diffidas de teipso totaliter, et de omnibus bonis tuis, et de tota vita tua, et convertas te totum, et reclines super brachia Jesu Christi pauperrimi et vilissimi, et impropere, despecti, et mortui propter te, usquequo tu sis mortuus in omnibus sentimentis tuis humanis, et Jesus Christus crucifixus vivat in corde tuo, et in tua anima, et totus transformatus et transfiguratus cordialiter sit in te: ut nunquam videas, nec sentias, nec audias, nisi ipsum solum stantem in cruce propter te mortuum et suspensum, ad exemplum Virginis Mariae, mortuus in mundo, et vivens in fide. » Et post nonnulla: « Debet etiam circa seipsum exerceri alio septiformi affectu. *Primo* scilicet, quod totus de suis vitiis et defectibus confundatur. *Secundo*, ut peccata sua tanquam offensiva, et sui ipsius maculativa acutissimo et acerbissimo dolore plangat et deploret. *Tertio*, humiliatione sui et conculcatione cum contemptu, ut scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam et foetidissimam spernat, et contemni appetat, ut dictum est. *Quarto*, rigore severissimo, ut sciens corpus suum asperrime maceret, et macerari appetat, tanquam peccato foetidum, imo tanquam latrunculum et sentinam et tumultum omnium laeditatum. *Quinto*, ira implacabili contra omnia vitia sua, et contra radices et inclinationes vitiorum suorum. *Sexto*, vigore pervigili et strenuo, ut scilicet omnes sensus, actus, potentias suas semper cum quadam virilissima strenuitate, in omni bonum teneat pervigiles et attentos. *Septimo*, discretione perfectae modestiae, seu mode-

rantiae, ut scilicet in omnibus districtissime servet mensuram et modum: videlicet, inter nimium et non satis, ut scilicet nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum, aut defectivum, nec plus quam debeat, aut minus quam deceat. »

*Secundo*, et valde, ait Dionysius, significat multas nos habere ad humiliandum rationes et stimulos: *prima* est consideratio peccatorum commissorum; *secunda*, fragilitas propria; *tertia*, naturae imperfectio: homo enim in serie creaturarum rationalium est infimus, nec eo inferior creari potest, ut nonnulli censent; *quarta*, vices et putredines corporis; *quinta*, comparatio cum Sanctis et Beatis; *sexta*, quia nihil habet ex se, nec suum; *septima*, consideratio iudicii divini; *octava*, consideratio divinae majestatis; *nona*, vindicta superbiae quam Siracides hic assignat ignem et vermem, idque apposite. Nam, ut ait Plinius lib. XI, cap. xxxii: « Vermes in ligno nascuntur, ubicumque humor est nimius, et lignum corrodunt. » Addit, cap. xxxvii, « nulli vermium generi oculos esse. » Ita superbus oculos non habet, quibus se suamque miseriam cognoscat; sed instar Tiresiae caecus, putat se esse quod non est, quia nimio philautiae humore, et quasi hydrope oppletus est sed haec superbia eum corrodet et perdet.

*Tertio*, et valde significat varios esse gradus et actus humilitatis, per quos sensum humilem descendere oportet, ut in humilitate crescat. Gradus hos assignat S. Benedictus in Regula: *Primus*, inquit, timor Domini; *secundus*, resignatio; *tertius*, obedientia; *quartus*, obedientia etiam in arduis; *quintus*, mala et alia quaevis aperire Superiori; *sextus*, ad omnia se indignum aestimare; *septimus*, omnibus se inferiorem ex animo existimare; *octavus*, communia servare, non esse singularem; *nonus*, tacere, donec rogetur; *decimus*, non esse ad risum promptum; *undecimus*, pauca et rationalia modeste loqui; *duodecimus*, corde et corpore praese ferre humilitatem.

Porro actus humilitatis hoc ordine accipe. Actus *primus*, vilipensio sui; *secundus*, putare se ineptum ad omnia; *tertius*, nolle aestimari; *quartus*, vilem velle se haberi; *quintus*, dolere magni fieri; *sextus*, aliis se conferendo inferiorem reputare; *septimus*, resignare se totum; *octavus*, subicere se hominibus omnibus propter Deum; *nonus*, amplecti quod humilior est. Accipe aliam eorum seriem: *primo*, nihil dicere unde laudem consequatur; *secundo*, non gaudere, cum laudatur; *tertio*, non facere quidquam in omnibus respectum humanum; *quarto*, non se excusare; *quinto*, vanas cogitationes procul pellere; *sexto*, omnes sibi ducere superiores; *septimo*, bene accipere humilitatis occasiones.

Porro Cassianus signa humilitatis assignat: *primo*, mortificatum esse; *secundo*, aperire omnia Superiori; *tertio*, omnia ex eius arbitrio facere; *quarto*, obedientia in omnibus et mansuetudo; *quinto*, non inferre malum, et illatum pati;

*sexto*, nihil agere sine exemplo, aut regula; *septimo*, omni vilitate contentum esse, et inutilem operarium se existimare; *octavo*, se ex corde putare omnibus inferiorem; *nono*, cohibere linguam et modeste loqui; *decimo*, non facile ridere. Item haec: *primo*, nolle laudari; *secundo*, simplicem esse in moribus; *tertio*, bona de se dicta non agnoscere, aut ne ea perdat, quia cognita, timere; *quarto*, minus putare de se, quam dicatur; *quinto*, in proximo videre, quod plus habeat sese; *sexto*, accusare se; *septimo*, non excusare, et correctionem admittere libenti animo; *octavo*, nescire virtutes suas; *nono*, humana contemnere; *decimo*, pro persequentibus orare, et iis benefacere.

QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS. — *Tigurina*: Quoniam ignis et vermis supplicia sunt carnis impii, q. d. Quia impii superbe et delicate carnem suam vestiunt, enutriunt, exaltant, hinc puniuntur illa igne et verme. Humilitati jungit carnem, et carnis poenas, ignem et vermem, minatur, q. d. Nisi te humilies, sed superbire velis, justo Dei iudicio incidis in libidinem et vitia carnis: humiliato enim spiritu humiliatur et caro; superbiens vero spiritu, superbit lascivique et caro; ac proinde Cassianus, S. Gregorius et alii optimum remedium castitatis assignant humilitatem. Siracidi succinit R. Levit in *Pirke Avoth*, cap. iv: « Curvo admodum, inquit, et demisso spiritu ambules: exspectatio enim omnis hominis, vermes. »

Jam triplex est hic sententia: *primo*, quidam sicut vermem, ita et ignem non proprium, sed metaphoricum accipiunt; *secundo*, alii accipiunt ignem proprium, sed vermem metaphoricum, puta remorsum conscientiae; *tertio*, alii aptissime, tam vermem quam ignem proprium et realem intelligunt.

Quaeritur ergo *primo*, an ignis inferni, quo cruciantur daemones et damnati, sit verus et corporeus, an vero figuratus et spiritalis? Figuratum et spiritalem esse censet Origenes homilia 13 in *Ecodum*, ubi ait, ignem gehennae ab igne nostro natura ipsa differre; urendi tamen vi praeditum esse. Et lib. XXI *Periarchon*, cap. xi, ignem hunc a sceleribus ipsis in animis impiorum exelari asserit, perinde ac febris ab humorum copia et pugna in corporibus humanis excitatur. Et homilia 9 *De Diversis in Matthaeum locis* (licet nonnulli negent eam esse Origenis), docet ignem hunc aequae ac vermem esse metaphoricum. Accedit S. Hieronymus in cap. LXVI *Isaiae*: « Ignis, inquit, qui non exstinguitur, a plebisque conscientia accipitur peccatorum, quae torquet in suppliciis constitutos. » Quod avide arripit sequiturque Calvinus, dum ait damnatos in inferno non alio igne aut poena torqueri, quam quod apprehendant Deum sibi ob scelera esse iratum et offensum: haec enim apprehensio, inquit, cruciat eos instar ignis. Verum aliud est

ignis et combustio, aliud apprehensio et imaginatio.

Diserte vero S. Ambrosius, lib. VII in *Lucam*, cap. xiv: « Ergo, inquit, nec corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammaram corporalium, neque vermis est corporalis; sed haec ideo, quia sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes: ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiae, sed miscendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quamdam contrahat veterum et recentium delictorum, igne aduretur proprio, et suis vermibus consumetur. » Paucis autem interjectis: « Ignis est, ait, quem generat maestitia delictorum: vermis est, eo quod irrationabilia animae peccata mentem rei sensumque compungunt, et quaedam exedunt viscera conscientiae. » Nec magnopere ab hac sententia abhorere videtur S. Augustinus, lib. XXI *De Civitate*, cap. x. Cum enim de historia divitis Epulonis ageret: « Convenienter, inquit, responderi posset, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos levavit, et quibus Lazarum vidit; qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit: ubi tamen erant sine corporibus animae. Sic ergo incorporealis et illa flamma, quae exarsit, et illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in exstasi cernentium res incorporeales, habentes tamen similitudinem corporum. » Gregorius autem, lib. XV *Moralium* cap. xix, alias xvii: « At contra, inquit, gehennae ignis, cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, neque studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. » Denique Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. ultim.: « Tradentur, ait, peccatores in ignem aeternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus. » Denique Nyssenus, lib. *De Anima et Resurrectione*, ignem hunc accipit mysticum et metaphoricum, ut non sit aliud quam dolor amissae beatitudinis: « Privatio, inquit, eorum quae bona videntur, flamma animam perurens existit, guttam aliquam ex pelago bonorum, quibus Sancti affluunt et abundant, et consolationem desiderans, et non adipiscens. »

Afferri possunt et rationes: *primo*, quia hic agit in daemones incorporeos: ergo in reus et ipse sit oportet; nec enim corpus potest in spiritum; *secunda*, quia Graeci in cilio Florentino censuerunt in Purgatorio esse ignem verum, quo purgantur animae tamen eos reprehenderunt Latini. Ergo idem est de igne inferni; passim enim Thologi censent eundem esse ignem Purgatorii inferni.

Verum dico, certum est in inferno verum et corporeum esse ignem, quo cruciantur tam da-

mones quam animæ et corpora damnatorum. Id probatur primo, ex Scriptura, quæ ubique docet damnatos in inferno puniri igne. Diserte Christus *Matth.* cap. xxv, 41: «Discedite a me, inquit, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.» Isaias, cap. xxx, 33: «Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.» Et cap. xxxiii, vers. 14: «Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?» S. Marcus, cap. ix, 44: «Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.» S. Joannes in *Apocalyp.* crebro docet impios in gehenna igne torqueri, ut cap. xix, 20: «Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.» Cap. xx, vers. 15: «Qui non inventus est in libro scriptus, missus est in stagnum ignis.» Idem dicit cap. xxi, 8. Similia passim habet S. Paulus, S. Petrus cæterique Apostoli. Verba autem S. Scripturæ proprie, ut sonant, accipienda sunt, non figurate, nisi quæ necessitas cogat, quæ hic nulla apparet. Denique hic ignis erit vindicta carnis impii; ergo corporeus, ut in carnem agat, sit oportet.

*Secundo*, quia damnatos in inferno igne cruciari, communis est Ecclesiæ et fidelium sensus, qui ignem gehennæ a Scriptura inculcatum verum et proprium intelligunt, non metaphoricum.

*Tertio*, quia idem est sensus Patrum Græcorum et Latinorum. S. Cyprianus *De Laude martyrii*: «Gehenna, inquit, magno plangentium murmure et gemitu, cruciantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis exspirat.» Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.*, ait impios puniri *ἐκτυπώσεται*, id est, exustione et inflammatione. Idem asserit S. Justinus, lib. *Adhortat. ad Gentes*. Nazianzenus vero, orat. in *S. Lvaer.*, ignem gehennæ confert cum igne Sodomæ. S. Chrysostomus, homil. 44 et 55 in *Matth.*, et homil. de præmiis *Sanctor.*: «In ignis, ait, fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum; in quo ignei fluctus montium instar eriguntur.» Idem, homil. 13 in *epist. ad Roman.*, et homil. 4 in *epistol. ad Ephes.*: «Expendito vitæ alterius mala quæ sint futura, regni cælorum privationem, a gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos flavios, fornaces nunquam restinguendas.» S. Basilius in *Psal. xxviii*, «ignem illum ait vim urendi retinere, luce tamen destitui.» Idem docet S. Hieronymus in cap. x *S. Matthæi*; Isidorus, libro de *Summo bono*, cap. xxi, ac diserte S. Augustinus, lib. XXI *De Civitate Dei* cap. x, *De Fide et Operibus*, cap. xv, et sæpe alibi. Ac S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. xlix,

ubi disputat, qua ratione ignis gehennæ, cum sit corporeus, in animas et dæmones, qui sunt incorporei, agere possit.

*Quarto*, idem uno ore docent Doctores Scholastici in IV, dist. XLIV et XLIX, et I part., Quæst. LXXIV, art. 3 et 4.

Denique nisi ignis hic statuatur corporeus, difficillimum est concipere et explicare quid ignis gehennæ nomine intelligendum sit, et quis sit ignis ille spiritualis et metaphoricus.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondeo, Origenes licet excusari possit eo modo, quo cæteri, tamen de eo non multum laboro, tum quia plures alios habuit errores, tum quia symbolicus esse solet S. Scripturæ interpres, ideoque, teste S. Hieronymo, male audivit, quasi qui sensum litteralem destrueret, ut suos conceptus symbolicos stabiliret. S. Hieronymus loquitur ex sententia Origenis et similium, non ex sua, ut patet verba citata intuenti. S. Ambrosius et S. Damascenus dicunt ignem inferni non esse materialem et corporeum, non absolute, sed respectu nostri ignis; quia, scilicet, nostro longe est subtilior, acrior, ardentior et penetrantior. Rursus, quia modus agendi ipsius non est corporeus, sed spiritualis et divinus. Agit enim ille ignis quasi instrumentum potentiæ divinæ in ipsos spiritus, puta, in dæmones et animas. Sic subinde Patres dicunt Angelos esse corporeos, non in se, sed si cum Deo, qui purissimus et celsissimus est spiritus, conferantur. Tantum enim distant a puritate Dei, quantum corpora a puritate Angelorum, et longe amplius. Denique dicitur ignis non esse materialis, quia non eget assidua nova materia, qua alatur, nec consumit corpora, quæ urit, uti facit noster, nec lucet, nec exstingui potest. Ita Damascenum interpretantur Clichtovæus et S. Thomas in IV, dist. XLIV, Quæst. III, art. 2, ad 1.

In S. Gregorio, pro *gehennæ ignis, cum sit incorporeus*, corrigendum est, «cum sit corporeus;» sequitur enim, «et in se missos reprobos corporaliter exurat,» uti recte advertit Bellarminus libro II *De Purgatorio*, cap. xi: opponit enim ignem gehennæ igni nostro, in eo quod noster, cum corporeus sit, debeat assidue foveri novis fomentis appositis; ille vero, licet pariter corporeus sit, non debeat foveri, sed semel ab initio conditus duret inextinguibilis. Nam, lib. IV *Dialog.* cap. xxix, expresse docet ignem gehennæ esse corporeum. S. Augustinus loco allegato non loquitur de igne damnatorum in gehenna, sed tantum de historia Epulonis *Luce* cap. xvi, aitque illam, velut visionem parabolice enarrari, eo quod nomen digitum, linguam, guttam, etc., quibus carebat anima Epulonis et Lazari; ac consequenter ignem, qui ibidem nominatur, non fuisse reale, sed imaginarium, qualis in visione Prophetis exhibetur, eo quod lingua Epulonis dicatur hoc igne cruciari. Cum ergo

constet Epulonem post mortem non habuisse linguam, sequitur pariter reali igne linguam ejus non potuisse comburi. Quare hæc linguæ ejus per ignem ustio, symbolice et parabolice explicanda est. Nam alioqui S. Augustinus ibidem, et locis paulo ante citatis diserte asserit ignem gehennæ esse corporeum. Illico enim post verba allegata subdit: «At vero in gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit. Idem non aliud velle videtur Nyssenus: agit enim de historia et igne Epulonis, quam cum S. Augustino parabolice accipiendam censet: «Quos enim oculos, inquit, in inferno attollit dives ille, qui carnos oculos in sepulcro reliquerat? quo pacto item flammam sentit (in lingua), quod incorporeum est? quam vero linguam refrigerari per guttam cupiebat, cum ei carnea lingua non adesset? quis autem ille digitus, qui perferret ei guttam? ipse etiam sinus requietis, quis?»

Ad primam rationem respondeo, ignem hunc agere in spiritus non naturaliter, sed supernaturaliter, quasi instrumentum omnipotentis Dei. «Cur enim, ait S. Augustinus lib. XXI, cap. x, non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?»

Ad secundam: Certius est ignem gehennæ esse verum ignem, quam ignem Purgatorii, ob rationes jam dictas. Rursus, certum est ignem Purgatorii esse verum ignem, uti censet Ecclesia Latina. Noluerunt tamen Latini cum Græcis in concilio Florentino hac de re contendere, quia id ipsum non est de fide; sufficebat Latinis, quod Græci confiterentur Purgatorium esse, in eoque animas puniri et purgari. Habebant enim alia majoris momenti ad fidem spectantia cum Græcis tractanda, iisque persuadenda. Quocirca sessione ultima definitur Purgatorium esse, nulla ignis mentione habita.

Moraliter, disce hic quam atrox sit pœna damnatorum, scilicet, incendium, ac incendium in æternum, idque juste et merito. Si quis querat cur Deus damnatos cruciat igne potius quam alio supplicio, respondeo primo, quia ignis optime respondet et congruit igni purgationis, quo arserunt, et cui indulserunt in hac vita peccatores, idque significat *vindicta carnis*; in carne enim residet stimulus concupiscentiæ. Unde S. Paulus *Galat.* cap. v, vers. 17, 19, et alibi, vitia et opera carnis vocat vitia et opera concupiscentiæ. Memorabilis ac horribilis est S. Remigii, Rhemensis Episcopi, de carnis et libidinis vitio sententia: «Demptis parvulis, inquit, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur.» Si ergo totus pene mundus hoc avernali igne ardet, quid mirum, si et igne crucietur in

gehenna? «Quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur,» *Sapient.* xi, 17.

*Secundo*, quia ignis acerrimus est, et maximam habet agendi et affligendi vim in corpora, et per corpora in animas ea informantes. Rursus, magna est analogia et vicinitas animæ tum igni; inter elementa enim et corpora maxime spiritualis est ignis, unde ad animam proxime accedit: hinc et Hebr. *ישן* *isch*, id est vir animatus, dicitur quasi *ישן* *esch*, id est ignis, ait Eusebius lib. XI *De Præpar.* cap. II.

*Tertio*, apposite superbia spirituum, puta dæmonum et animarum, punitur corpore, scilicet igne, ut qui supra Deum se extollere voluerunt, corporeo igni quasi tortori subjiciantur. Hoc est quod ait hic Siracides: «Humilia valde spirituum, quia vindicta carnis impii, ignis et vermis.» Hanc spirituum superborum humiliatorem representat ipse ignis; nam, cum natura sua postulet esse in alto summoque orbis loco, ad puniendum dæmonum hominumque superbiam, deprimitur in imum inferni centrum; et sicut ipse violenter ibi detinetur, ita et spiritus quos punit.

*Quarto*, ignis gehennæ cum sit incorruptibilis, aptum est symbolum et instrumentum punitionis damnatorum, utpote quæ æterna est et in æternum durabit. Rursus ignis hic symbolum est cæli empyrei, ex quo corruerunt dæmones; empyreum enim a *ἔμπερος*, id est igne, dicitur, quasi igneum, quia splendidum ut ignis; sed sine calore et ardore, qui est in igne inferni: quocirca in empyreo intercisam esse flammam ignis, ait S. Basilius in *Psal. xxviii*. Ignis ergo refricat dæmonibus cælum empyreum, ex quo exciderunt, itaque eos torquet, dum empyreum in ignem inferni sibi commutatum vident.

*Quinto*, ignis omnium optime exprimit ardore furoris divini in damnatos. Porro sicut naturaliter sentimus in anima dolorem, dum corpus igne cruciatur; hic enim cruciatus a corpore transit in animam illi cohærentem, eamque informantem: ita supernaturaliter Deus vi divina per ignem efficit in anima separata talem dolorem et cruciatum, qualis naturaliter in anima corpori conjuncta ob sympathiam mutuam existit.

Denique ignem gehennæ esse sulphureum liquet *Psal. x*: «Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur,» etc. *Isaiæ xxx*: «Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.» Idem docet S. Joannes *Apocal.* cap. xiv, 20 et 21. Idem confirmatur ex eo quod Sodoma et finitimæ civitates igne sulphureo sint subversæ, *Genes.* cap. xix, de quibus ait S. Judas, quod «ignis æterni pœnam sustinentes, factæ sunt exemplum» orbi, manifeste indicans, ignem sulphureum esse æternum; loquitur enim de pœna quæ toti mundo fuit conspicua, quæ æterna non fuit; sed ignis sulphureus, cujus pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamvis non idem nu-

mero. Est enim sulphur aptissimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam, qua facile et vehementer exardescit; tum propter odoris tetri acrimiam, quae factori peccatorum congruit; tum quia suffitui in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, ut inquit Plinius lib. XXXV, cap. xv. Inquinantur peccatores domos suas, nempe animam et carnem suam peccando, dum viverent. Unde conveniens est, ut Deus igne sulphureo hasce domos, quantum fas est, expiet et quodammodo sanctificet: supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis et purgationis. Hujus quoque rei signum est, quod infinita vis sulphuris, partim semper ardentis, partim non ardentis, sub terra lateat, ut ex thermis et montibus ardentibus, qui plurimi sunt per orbem, manifestum est; nam et thermæ sulphur olent, et ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, et sulphur olent. Ita noster Lessius *De Attributis divin., in Justitia.*

Sicut ergo peccatum mortale, v. gr. libido, ebrietas, superbia est summum malorum in ratione culpæ et offensæ Dei: ita ignis gehennæ summum est malorum in ratione pœnæ et vindictæ. Idque primo, quia ignis hic est sulphureus et infernalis. Secundo, quia idem est ardentissimus, acerrimus et efficacissimus. Tertio, quia non tantum corpora, sed et animas immediate urit: in hac enim vita vis ignis in animam refringitur per corpus, ut non nisi refracta et quasi dimidiata ad animam perveniat: in gehenna vero ignis intime uret ipsas animas et demones in seipsis; anima autem sensibilior est corpore; imo tota vis sentiendi oritur et residet in anima. Quarto, quia ignis non solum ardore, sed et sua caligine ac fumo et fetore sulphureo cruciabit damnatos. Quinto, quia ignis hic est æternus, ut exstingui, imo minui non possit. «Hæc recordare ait S. Augustinus serm. 181 *De Tempore*, cap. xviii, et ignem illum gehennæ, his quæ te nunc exagitant, flammis libidinis et cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsentis est vita, absument euncta, quæ recipit; ille vero, quos susceperit, semper cruciat, et pœnæ suæ semper integros servat. Propterea enim et inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non exstinguitur, sed quia nec eos quos susceperit, exstinguet aut perimet. Hujus autem pœnæ et ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare, etc. Ubi fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, » *Apostol. ad Rom. xiv, 11.*

Heu miseri stolidique mortales, qui modica carnis voluptate infatuati, quasi ebrii et amentes, Dei cœlique immemores, æternitatis obliti, velut per jocum vos mergitis in omnium ærumnarum barathrum, in immensum æternitatis oceanum, in æternantia gehennæ incendia! Quid est, o Deus immortalis, æternitas ignium, æternum in flam-

mis vivere? O vere momentum, quod delectat; æternum, quod cruciat! O vesania hominum omni insaniam insaniorem, qui exiguo carnis gaudio arecunt sibi æternos ignes! O æternitas rogi sulphurantis! o æternitas tartarea in flammis ignitissima, in desperatione perenni desperatissima! o mortem vitalem, et vitam mortiferam! o omnium tormentorum atrocissimum tormentum æternitas! Momento bibitur, luditur, fornicatur: momento transit voluptas, succedit illico æterna calamitas. Sic ridendo itur in perennia ignium, cursu perenni æternitatis, sæcula. Itur, at non reditur; nam finis est exordium, exordiumque finis. O finis sine fine! o mors sine morte! Cum claudit orbem temporum, orditur orbis perennis suum orbem. Æternitas, inquam, post omne tempus semper quasi rediviva, suum orditur perennitatis orbem. Cogitabat hæc assidue Reverendissimus D. Godefridus, nuper Bambergensis et Herpitolensis Episcopus, cujus pio alloquio Herpitolis fructus sum, qui assidue æternitatem mente versans, dicere solebat: Omni momento sto ad ostium æternitatis. Idem dicit tibi, o Lector, cum te caro vel dæmon ad illicita sollicitat: Si id fecero, luam æternis ignibus; sto ad ostium æternitatis; absit ergo, ut id faciam; absit, ut tam insanus sim; ego tanti pœnitere non emo. Injice digitum in ignem, vel flammam cantantem, et si illum tolerare nequis ad horam, quomodo tolerabis æternos sulphurantis gehennæ globos?

Quæritur secundo, an in gehenna sint veri vermes, an metaphoricæ duntaxat? Multi censent tantum esse metaphoricæ, puta remorsus et angores conscientie oblatrantis, jugiterque damnato objectantis: Cur fornicatus es? cur te inebriasti? cur non prævidisti hæc tormenta? cur tam vili esca prodegisti Deum, cœlum, felicitatem? cur tam brevi et exili voluptate accersivisti tibi hæc æterna gehennæ incendia? quam facile ea vitasses, si hæc sapius cogitasses? Nunc tuam stultitiam, tuam vesaniam lues, et planges æterna, sed sera et inutili pœnitentia. Actum est, perii, damnatus sum, æternum ardebo. O me infelicem! o me vesanum! o me creaturarum omnium miserrimum et desperatissimum! Ita vermem hunc pro dolore et mœrore, qui quasi vermis oritur ex putredine peccati, accipiunt S. Ambrosius, lib. VII *in Lucam*, cap. xiv, cujus verba paulo ante recitavi; S. Hieronymus in cap. LXVI *Isaie*; S. Thomas in IV, dist. I, *Quæst. II*, art. 3, ad 1 et 2, ibique Dominicus Soto, et alii multi, ac noster Lessius lib. VIII, *De Attributis divin.*, cap. xxiv, num. 159.

Verum S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.* cap. ix et x; S. Basilius in *Psal. xxx*; Prosper, lib. III *De Vita contempl.* cap. xii; S. Anselmus in *Elucidario*, S. Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus, Hugo Victorinus et alii, quos citavi *Isaie LXVI*, 23, censent hunc vermem esse proprium,

litteralem et realem. Probat *primo*, quia in gehenna ignis est proprius, non metaphoricus; ergo et similis est vermis. *Secundo*, quia hic vermis vocatur *carnis*, quasi carnem arrodens, uti notat S. Augustinus loco citato.

Dices *primo*: *Tu carnis* non est in Græco. Respondetur, *tu carnis* est in Latinis omnibus. Olim etiam fuisse in Græco colligitur ex eo quod S. Augustinus illud legat; qui tamen S. Hieronymi versione, quæ vulgata est, utpote necdum recepta, uti non solet, sed alia vetustiore.

Dices *secundo*: Non dicitur *vermis carnis*, sed «vindicta carnis ignis et vermis,» ut sensus sit, *q. d.* Vindicta operum carnalium, vel vindicta carnis, id est concupiscentie, tum corporis, tum animi, cui indulserunt impii, erit ignis et vermis arrodens animam, et consequenter male etiam afficiens carnem. Aut «vindicta carnis,» id est, anime olim carni junctæ et deditæ erit vermis et ignis. Ita S. Thomas loco citato. Verum hæc non satisfaciunt; dicitur enim «vermis vindicta carnis,» quia carnem ob peccata in ea commissa vindicabit et puniet, æque ac ignis eandem carnem puniet et uret, non per animam, sed per se et immediate. Alioquin enim omisisset *tu carnis*, et nude dixisset: «Vindicta impii ignis et vermis;» præsertim quia proprie non agit de libidine, quæ est in carne; sed de superbia, quæ est in mente. Ait enim: «Humilia valde spiritum tuum, quia vindicta carnis impii, ignis et vermis.» Denique idipsum clare explicatur *Judith* cap. xvi, 21, ubi dicitur: «Dabit ignem et vermem in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.» Pluribus idipsum confirmavi *Isaie* cap. LXVI, 23.

Tropologice, vermis hic est remorsus conscientie jam dictus, de quo S. Bernardus lib. V *De Consideratione*: «Hic est vermis, qui non moritur memorie præteritorum. Non cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Hæc secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit.»

Patheticæ S. Ephrem, tract. *De Abrenuntiatione et variis inferni pœnis*, sub finem tomi I, hunc vermem, puta luctum et lamenta damnatorum, representat, ubi inter cætera ait: «Tunc amarissime illacrymantes ejulantesque dicent: O quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus? O quomodo illusi sumus? O quomodo divinam Scripturam audientes irridentesque nos ipsos irasimus? ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, et non attendebamus; hic nos jam clamamus, et ipse suam a nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Ubi nam qui nos genuit pater? Ubi quæ nos peperit mater? Ubi filii? Ubi amici? Ubi divitiæ? Ubi substantiæ atque possessiones? Ubi turbæ? Ubi convivium? Ubi varii et intemptivi cursus? Ubi

reges atque potentes? Quomodo a nullo eorum salvari modo possumus; neque vero nobis ipsi opem ferre. At penitus derelicti sumus, et a Deo et a Sanctis ejus.» Et paulo inferius: «Dicendum quid restabit? Valet, justi universi. Valet, Apostoli, Prophetæ et Martyres. Valet, ætus Patriarcharum. Valet, Monacharum agmen. Valet, crux pretiosa atque vivifica. Valet, cœlorum regnum omni fine carens. Valet, superna Jerusalem, primitivorum mater. Valet, paradisi voluptatis. Valet etiam tu, Domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valet, patres ac matres, filii atque filie; nullum siquidem vestrum visuri sumus ultra. Postea vero abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prævia sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis exstinguitur.»

20. NOLI PRÆVARICARI IN AMICUM PECUNIAM DIFFERENTEM. — Transit congruo ordine a cura sui ad curam amici, qui est alter ego. Jam *primo*, Lyranus sic exponit, *q. d.* Noli rumpere pristinam amicitie tesseram cum amico, si is differat tibi reddere pecuniam commodatam. Nam amicitia multo pretiosior est quam pecunia, uti docet Aristoteles lib. VIII *Ethic.* Majus vero bonum non est contemnendum pro minori, sed magis e converso. Sic et Rabanus, Palacius et alii passim. Verum hic sensus esto congruat Latine versionem, non congruit tamen Græcæ. Græcum enim *διαφορον*, quod Noster vertit *differentem*, non significat tardantem, morantem, prorogantem solutionem pecuniæ debitæ, sed longe aliud.

*Secundo*, Jansenius ex manuscriptis legit; *Noli prævaricari in amicum pecunia differenti*, id est, ob pecuniam differentem, hoc est, ob pecuniam excellentem, aut variam et multam: Græcum enim *διαφορον* significat rem præstantem et excellentem. Verum hic sensus esto congruat Græco, non congruit tamen Latino: Latine enim *differens* non significat rem præstantem et excellentem, sed aliam et diversam. Adde, lectio ejus discrepat a lectione vulgata Bibliorum impressorum.

*Tertio*, alii, uti notatur in margine Glossæ ordinariæ, legunt: *Noli prævaricari in amicum pecunia differentem*, qui, scilicet, in re pecuniaria a te differt et dissidet, sive, quia non tantum habet, quantum tu, sed te est pauperior; sive quia pecuniam, quam ab eo quasi tibi debitam reposcis, vel gratuito donari aut commodari efflagitas, negat, vel solvere procrastinat. Verum omnes pene codices legunt, «pecuniam (non pecunia) differentem;» cui lectioni sensus jam assignatus non convenit.

*Quarto* ergo et genuine, *tu differentem* hic idem est quod divertentem, alio avertentem et distrahentem. Hoc enim proprie est *tu differre*, scilicet in diversas partes ferre, ait Donatus, auferre et alio transferre, item disturbare. Sic Plantus in *Ruden.* ait: «Nos cum scapha tempestas dex-

troversum differt, » id est, transfert et distrahit. Tacitus, lib. XXI: «Castra in plano sita vi fluminis differebantur,» id est, distrahebantur. Varro, lib. I *De Re rustica*, cap. IV: «Cytisum scribitur in terra tene subacta, tanquam semen brassicæ: » id est, differtur (id est, transfertur) et in sesquipedem ponitur. » Terentius in *Adolph.*: «Miseram me, differor (id est, distrahor) doloribus.» Plautus in *Cistellar.*: «Miser exanimor, feror, distrahor, diripior.» Idem significat Græcæ διαφέρω, id est, in diversum fero, abripio, exagito, distraho. Sensus ergo est, q. d. Noli prævaricari in amicum, ut ejus amicitiam abrumpas vel violes, hoc nomine, quod pecuniam, merces et lucra a te avertat, et alio differat, id est, divertat et transferat ad se et suos, vel etiam ad alienos; aut quod pecuniam tibi jure, vel ex amicitia debitam aliorum differat, alibique expendat, itaque tibi eam numerare et solvere differat et procrastinet. Quare ex hoc sensu elicitur primus paulo ante assignatus. Vide hic quam noster Interpres sit latinus, profundus et solers.

Ratio est, quia potest amicus hujus suæ translationis justas, easque varias afferre causas, ut quod alteri eam promiserit, aut quod alter sit magis indiguus, aut quod Deo et rebus piis eam dicare cogitet, etc. Sed esto nullam justam possit prætexere causam, nisi quod ita ei faciendum videatur, itaque libeat, non tamen idcirco rumpenda tibi est pristina cum eo amicitia, quia hæc omni pecunia est potior. Nam, ut ait Cicero *De Amicitia*: «Amicus est optima et pulcherrima suppellex.» Huic sensui favet Syrus: *Ne commutes amicum in* (id est, pro) *pecunia, et fratrem, qui est tibi* (pro) *auro Ophir.* Et Græca, μή ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκεν διαφόρου κατὰ μὲν ἐν, id est, ne commutes amicum ob differens secundum aliquid, puta quia aliquid a te differt et divertit, alloque avertit.

Pro διαφόρου, Complut. Romana et alii legunt contrarie ἀδιαφόρου, id est, indifferens. Unde aliqui vertunt: *Ne commutes bonum amicum propter indifferens*, id est, propter adiaphora, puta bona fortunæ, quæ media sunt inter virtutem et vitium, nec bona, nec mala, ideoque parvi facienda; quia sicut eis uti ad virtutem, sic iisdem abuti ad vitium possumus. Unde Tigurina vertit: *Ne permutes unquam amicum re vulgari, nec fratrem sincerum curi Ophirio, q. d.* Aurum et pecuniam ut vilia præ amicitia contemne: noli propter ea amicitiam solvere, quæ si egeret amicus, dares ei tua: aestima te jam dedisse, vel dare. Hoc est quod audiemus cap. XXIX, 13: «Perde pecuniam propter fratrem et amicum.» Et Salomon *Proverb.* XII, 26: «Qui negligit damnum propter amicum, justus est.»

NEQUE FRATREM (tum natura, puta fratrem germanum; tum amicitia, puta amicum qui est insar fratris) CHARISSIMUM AURO SPREVERIS. — Puta propter aurum, quod ipse a te postulat, vel a te divertit, aut dare vel solvere differt. Græce et Sy-

riace: *Ne permutes amicum pro auro Ophir*, id est, pro auro præstantissimo, quale producit regio Ophir, vel, ut Complut. et Romana legunt, Sophir aut Suphir. Septuaginta enim pro Ophir, vel Hophir, vertunt Sophir III Reg. IX, 28, 4<sup>ta</sup> cap. X, 11, I Paral. XXIX, 4, quia aspiratio h sæpe vertitur in litteram s, ut ἑς, sus; ὑμῖν, super; ὄλι, sylva. Porro Ophir, vel est Peru, unde aurum Salomonis vocatur aurum Peruum, quasi Peruanorum, II Paral. III, 6, in Hebræo et Græco Septuaginta; vel, ut Gaspar Varrerius, lib. *De Ophir*, est aurea Chersonesus, aut potius omnis ea ora, quæ Pegusis, Malaca et Somatra continentur: unde noster Maffei, lib. XVI *Histor. Indicæ*, tradit Pegusios originem et stirpem ducere a Judæis exsulis, qui a Salomone damnati ad Ophirinas ærifodinas ea loca primi tenuerint. Aurum Ophir fuit præstantissimum et laudatissimum. Unde Isidorus censet aurum obrisum dici quasi Ophirum. Vide quæ de Ophir et Ophas dixi *Jerem.* X, 9.

21. NOLI DISCEDERE A MULIERE SENSATA ET BONA, QUAM SORTITUS ES IN TIMORE DOMINI: GRATIA ENIM VERECUNDIÆ ILLIUS SUPER AURUM. — Ab amico transit ad uxorem quasi viro conjunctissimam, atque: Sicut amicus non est deserendus, nec auro commutandus: sic nec uxor, in qua quatuor requiritur conditiones: primo, ut sit sensata, id est, cordata et prudens; secundo, ut sit bona, id est, non vitiosa, nec cervicosa aut maligna, sed bonis et commodis moribus; tertio, ut sit verecunda, indeque erga maritum humilis, et erga externos casta; quarto, ut habeat timorem Dei: τὸ enim quam sortitus es in timore Dei, tam ad uxorem, quam ad virum pertinet, q. d. Quam timentem Deum ab eo obtinuisti, et ipse timens Deum, merito timoris Dei, juxta illud cap. XXVI, 3: «Mulier bona, pars bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis, » uti data est Tobie Sara, Isaaco Rebecca, Davidi Abigail. Græca hoc loco concise habent: *Ne discedas a muliere sapiente et bona; nam gratia ejus super aurum;* Syrus: *Ne commutes mulierem bonam et pulchram visu pro margaritis;* Tigurina: *Uxore sapiente bonaque cave ne excidas, si quam secundum religionem Domini nactus es; nam venustas ejus præstantior auro est;* vel, ut alii, *ejus enim gratia superat aurum.* Olim licebat Judæis dare uxoribus libellum repudii; monet ergo hic Sapiens, ne eum dent uxoribus, si illas sapientes, bonas et castas nacti sunt. In lege nova sublatum est repudium: certis tamen casibus permissum est tori divorcium; sed suadet hic Siracides, ut illud non facile fiat, imo, si uxor sit sensata et proba, illud facere non licet.

Ratio a priori est, quod mulier sensata sensate regat filios et familiam, itaque pace bonis; ac omnibus eam locupletet, ac marito sensata det consilia. Unde Deus dixit Abraham: «Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus,» *Genes.* cap. XXI, 12. Talia dedit S. Cæcilia Valeriano. Clotildis Clo-

donæ, Monica Patrio, etc., dum eos ad fidem et salutem traduxerunt. Rursum verecundia in uxore magis rubet et rutilat quam aurum; illius enim rubor est virtutis tinctura, ut ait Diogenes apud Laertium, atque arx pulchritudinis, æque ac castitatis, ut ait Demades apud Stobæum, *serm.* 72. Idem Stobæus, *serm.* 31, narrat quod Pythias, Aristotelis filia, rogata quonam colore pulcherrime genæ pingerentur, responderit, colore verecundiciæ. Unde S. Gregorius Nazianzenus, *orat. advers. Mulier. a. d. v. se ornantes*: «Unus, ait, color, in mulieribus amabilis est, nimirum, rubor ille quem pudor gignit; qui quidem a pictore nostro (Christo) pingitur; » et S. Ambrosius, lib. I *Officior.* cap. XVIII: «Pulchra, ait, virtus verecundia, et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus. » Hic igitur rubor est purpura honestatis. Verecundiæ pariter est, quod scribit Plutarchus in *Moral.*: «Luna, inquit, cum soli conjungitur, tum obscuratur et occultatur; cum abest, lucet: contra, proba uxor præsentem marito maxime conspici debet, eodem absente maxime condi ac latere.»

22. NON LEDAS SERVUM IN VERITATE OPERANTEM, NEQUE MERCENARIUM DANTEM ANIMAM SUAM. — Ab uxore descendit ad servum. Pro non ledas, Græce est μή κατακρίσεις, id est, ne affligas, ne male tractes, ne malis verbis aut verberibus afficias «servum in veritate, » id est, vere, fideliter, et ex animo, non fecte et ad oculum pro te «operantem; neque mercenarium dantem animam suam, » id est, qui non parit sibi et labori, sed omnes animæ suæ corporisque vires operi heri, a quo conductus est, impendit, ut videatur præ nisu, conatu et sudore subinde efflare animam. In servo ergo requiritur fidelitatem, in mercenario diligentiam. Unde Syrus: *Ne affligas servum, qui servit in veritate; neque mercenarium, qui laborare facit animam suam* (id est, seipsum); Tigurina: *Ne male tractes famulum operantem fideliter, nec mercenarium se tibi totum impendentem;* Antonius in *Melissa*, *serm.* 29, legit: «Servum opus vere facientem ne male tractato.» Huc facit illud Senecæ lib. I *De Clementia*, cap. XVIII: «Servis imperare moderate, laus est; et in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis et pretio partis jubet.» Causam dat S. Paulus *Ephes.* VI, 9: «Et vos, domini, inquit, eadem facile illis (servis) remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cælis, et personarum acceptio non est apud eum.» Vide ibi dicta. Rationem economicam dabat M. Crassus, qui liberaliter servos habebat, imo docebat: «Quia, inquit, servi animata sunt rei domesticæ instrumenta, » Idem sensit Aristoteles in *Oeconomicis*.

23. SERVUS SENSATUS SIT TIBI DILECTUS QUASI ANIMA TUA: NON DEFRAUDES ILLUM LIBERTATE, NEQUE INOPEM DERELINQUAS ILLUM. — Græce: *Servum σωτηρίως*

id est prudentem, sensatum, diligat anima tua, ne defraudes illum libertate; Syrus: *Servus σωτηρίως*, supple, si tibi sit, *dilige eum, ut animam tuam;* et ne prohibeas ab eo libertatem, id est, ne deneges ei libertatem; Arabicus: *Ne noceas servo fideliter agenti, neque mercenario laborare facienti, vevecanti animam suam. Dilige servum sapientem secundum dilectionem tuam animam tuam* (hoc est, prout te ipse diligis), et ne prohibeas illum libertate; Antonius in *Melissa*, *serm.* 23: «Prudentem servum ex animo diligo.» Duo ergo servo prudenti ab hero præstanda docet Græcus, scilicet, primum, dilectionem ex animo; secundum, libertatem; addit tertium Latinus, ne dimittatur inops, juxta illud *Deuter.* XV, 13: «Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris; sed dabis viaticum.» Porro ait: «Non defraudes illum libertate, » quando, scilicet, vel pretio se redimere potest et vult, vel tempus servitutis a lege vel aliunde præscriptum expirat, uti Hebræis indultum erat sex annis tantum servire, septimo vero anno liberos egredi, *Exodi* XXI, 2. Rursum in jubileo omnes servi debebant liberi dimitti, *Levitic.* cap. XXV, 41. Alias servum sensatum libertate donare consilii est, non præcepti; ejus enim prudentia et virtus meretur potius libere agere quam servire, potius aliis imperare quam parere. Secus est de servis malis et insensatis: his enim utilior est servitus quam libertas.

Porro multi olim servos ob fidelitatem et officia sibi in filios adoptabant, itaque simul eos libertate et hæreditate donabant, idque hic innuere et suadere Siracides censent nonnulli. Ita Plato, *Dialog.* IV *de Republ.*, ait adoptione tolli servitutem, et Plutarchus in *Politico* suadet libertos adoptari, ut simili adoptionis spe servi heris ad nutum obsequi discant. Idcirco etiamnum Turcæ servos sibi obsequentes in filios adoptant; quin et Hispani nonnulli, si filius desit, servum officiosissimum in filium adoptant. Idem factitasse Hebræos insinuat Salomon *Proverb.* XVII, 2: «Servus sapiens, inquit, dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet; » sicque putant nonnulli Salomonem adoptasse sibi Jeroboam ob ejus fortitudinem, qui deinde insolentior factus regnum decem tribuum Roboamo eripuit, sibi bique arrogavit. «P. Catienus Philotimus, ait Plinius lib. VII, cap. XXXVI, patronum adeo dilexit, ut hæres omnibus bonis institutus, in ejus rogum se jaceret.» Sic et servi apud Gallos eadem pyra cum heris cremabantur, teste Cæsare lib. VI *Belli Gall.* Unde de iisdem agens Pomponius Melalib. III, cap. II: «Erant, ait, qui in rogos suorum, velut una victuri, libenter se immitterent.»

Nota: Sapiens adeo hero commendat servos et ancillas, tum quia officium heri est, suæ domus et domesticorum peculiarem habere curam: hoc enim exigit justitia economica et ordo charitatis; tum quia hoc ipsum redundat in decus et commodum heri: servi enim si ab hero benigne bene-